

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5787

Auteur(s) : Luc, Évreux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Richard, chevalier, Harcourt (seigneur)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1217, 7 mars

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Luc, évêque d'Évreux, notifie l'arrangement d'un différend survenu entre le chapitre d'Évreux et le chevalier Richard, seigneur de Harcourt, sur le droit de patronage de l'église Sainte-Colombe.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1869, t. 3, p. 88-89.

Texte établi d'après a

Omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, Lucas, Dei gratia Ebroicensis episcopus, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod, cum inter R. decanum et capitulum Ebroicense, ex una parte, et Ricardum dominum de Harecuria, militem, ex altera, super jure patronatus ecclesie Sancte Columbe ac dampnis et injuriis ab eodem milite et patre suo Ebroicensi ecclesie illatis sub diversis iudiciis a domino papa delegatis questio verteretur diucius, tandem partes in nos consenserunt ad totum negocium terminandum, promittentes per litteras suas patentes quod nostre super premissis starent ordinationi et eam firmiter observarent. Nos igitur ut liti finis imponeretur, pro bono pacis ita duximus ordinandum quod ecclesia Ebroicensis in perpetuum percipiat sex modios bladi tercionarios, videlicet duos modios frumenti, duos mistilii et duos modios avene ad mensuram Ebroicensem in ecclesia Sancti Aniani de Carlevilla post mortem vel cessionem Ricardi, nunc ejusdem ecclesie persone, in qua dictus miles jus obtinet patronatus. Interim autem percipiet ecclesia Ebroicensis sine difficultate predictos sex modios dictorum bladum ad dictam mensuram in granchia ejusdem domini de Harecort, apud Rogeperer, ipso domino in hoc expresse consentiente quod, nisi dictum bladum infra octabas Sancti Michaelis fuerit persolutum absque appellationis remedio curret interdictum in terra ipsius. Et per episcopum Ebroicensem poterit idem miles cohiberi ad solutionem dicti bladi faciendam. Sublato autem de medio dicto Ricardo, persona de Carlevilla, cessabit ista assignatio facta in granchia de Rogeperer, et dictum capitulum percipiet sex modios bladi in ecclesia memorata Sancti Aniani. Memoratus vero miles et heredes sui ad vicariam Sancte Columbe, in qua de cetero sine contradictione Ebroicensis ecclesie jus habebunt patronatus, vicarium presentabunt episcopo Ebroicensi instituendum, qui velit et possit in propria persona eidem ecclesie deservire et curam gerere animarum, salvis duabus jarbis capitulo et canonico, sicut fuit ab antiquo, cum quinquaginta solidis quorum medietatem percipiet capitulum et canonicus reliquam medietatem. Vicarius siquidem, scilicet magister Ricardus de Esmalevilla quondam in eadem ecclesia institutus pure et sine conditione vicariam in manu nostra resignavit, et dictus miles incontinenti clericum ad eandem vicariam presentavit. Nichilominus vero clerici de terra de Harecort L. solidatas redditus perquirent et assignabunt ecclesie Ebroicensi, percipiendas ad anniversarium patris dicti militis kalendis septembris faciendum. Hanc igitur ordinationem, partibus recitatam et ab eis approbatam, presentis scripti

testimonio et sigilli nostri munimine roboravimus. De expensis vero, dampnis ac injuriis ab eodem milite et patre suo Ebroicensi ecclesie irrogatis, idem capitulum dicto militi de cetero questionem non movebit, sed proprie consciencie omnino reliquit. Fiet etiam in cimiterio ejusdem ecclesie granchia capitulo et canonico et vicario communis, et de communi ad blada reponenda. Et in eodem cimiterio faciet vicarius de suo proprio domum suam. Dictos vero sex modios bladi tenetur idem miles tanquam patronus et heredes sui eidem capitulo in dicta ecclesia Sancti Aniani de Carlevilla garantizare. Et sciendum est quod rancores animorum hinc inde remittentur. Actum anno gratie millesimo ducentesimo decimo sexto, nonas martii.